

197

Kem / 3493 (1-24)

550

3

SPECIMEN INAUGURALE MEDICUM
DE
METHODI LAXANTIS
ET
PURGANTIS USU ET ABUSU,


Q U O D
CONSENSU FACULTATIS MEDICAE
HALENSIS,
P R A E S I D E
VIRO PERILLUSTRI, EXCELLENTISSIMO,
PHILIPPO FRIDER. MECKEL,

REGI BORUSS. A CONSIL. SANCTIOR.,
MED. ET CHIRURG. DOCT.
ET PROF. PUBL. ORD. C E T.

U T
GRADUM DOCTORIS MEDICINAE
PARITER AC CHIRURGIAE
LEGITIMO MODO ACQUIRAT,
D. XXX. AUG. MDCCXCVI.
PUBLICE DEFENDET

A U C T O R
FRIDER. FERDINANDUS GEHRING,
SILESIUS.

HALAE,
T Y P I S T R A M P I A N I S.



V I R O
ILLUSTRI, EXPERIENTISSIMO,
GÖRICKE,
CHIRURGO GENERALI EXERCITUUM
BORUSSICORUM
CET.

N E C N O N

V I R O
CLARISSIMO, INTEGERRIMO,
IOANNI FERD. GEHRING,
CHIRURGO CIVITATIS
IAUERAE,

P A T R I O P T I M O

HASCE PRIMICIAS ACADEMICAS

D. D.

A U C T O R.

testa collumque rumpit, tuba dilatatur
et in rumpit, tuba dilatatur et in rumpit,
tubus dilatatur et in rumpit, tuba dilatatur et in rumpit,
tubus dilatatur et in rumpit, tuba dilatatur et in rumpit.
D E

METHODI ALVUM SOLVENTIS

E T

PURGANTIS USU ET ABUSU.

Informatio methodi et historia.

1.

Alvum liquare aut solvere, atque purgare dicuntur ea remedia, quae repetitam efficiunt deiectionem eamque fusam et liquidam: iure itaque iis adnumerantur remedii, quae humores copin aut indeole peccantes evacuare possunt: quin a variis medicis is servatur loquendi usus, ut evacuantium speciatim ac significanter sic dictorum loco ea remedia usurpari solita sint, quae alvum solvere aut purgare valent.

2.

Necessitas huius methodi, a pristinis inde temporibus, quibus agitari medicina coepit,

A

pa-



patuisse videtur, quippe quae simplici eluet observatione emolumentorum, quae ex diarrhoeis spontaneis, aut a natura excitatis in valeditudinem manant; eluet utique haec necessitas purgantium ex simplici illo ratiocinio, id debere e corpore exterminari, quod corruptum abundat. Hinc itaque factum est, ut homines literarum quidem rudes, hanc tamen methodum ceteris saepius longe preeferant, atque ulteriori caussarum inquisitioni supercedentes, evacuare solummodo fordes aut corruptos cibos studeant.

Antequam medendi scientia sapientiae pars apud Graecos haberetur, a diis opem poscere confueverunt homines, atque in templis artem exercuerunt. Tum quoque apud Cnidios Aesculapii sacerdotes purgantium validiorum et exteriorum usus invaluit, ut, teste ipso **HIPPONCRATE**, praeter morbos acutos, ceteros fere omnes his evacuantibus fugare conarentur. Usurparunt autem Cnidii medici preefertim semina *Daphnes Mezerei*, *Daphnes Laureolae*, quae inde nomen *Coccorum* acceperunt Cnidiorum: succos inspissatos *Euphorbiarum* *Pepli*, *Peplidos*, *Lathyridos*, *Characiae* et *Paraliae*, sub nomine *Meconii* et succi *Tithymalli*. Usurparunt

parunt *Memordicam Elaterium*, *Aithamantam cretensem* (Daucum Hippocratis) *Convolvulum Scammoneum*, *Veratrum album* (Helleborum Hippocratis) semina *Colocynthidis*, ^{ra-}
dicem *Bryoniae albae*, *Cyclaminis europaei*
radicem et semina *Carthami tinctorii* ^{1).}

4.

Hunc drasticorum remediorum usum quam
quani **HIPPONCRATES** ipse diserte damnavit,
ratione tamen atque experientia rite indicatum
firmavit. Considerare enim oportet, secundum
ipius sententiam, et regionem, et anni tempus,
et aetatem et morbos, in quibus expedit ^{2).}
Ita naturam sequi oportet, quaeque educere
debet, quo maxime vergunt, eo ducenda, per
loca convenientia. Concocta autem medicamen-
to purgante educenda et movenda, non
cruda, neque per initia, nisi turgeant, pluri-
ma vero non turgent. Excreta porro non co-
pia sunt aestimanda, sed si qualia oportet ex-
eant, et facile ferat aeger. In acutis vero mor-
bis, et in principiis, raro medicamentis pur-
gantibus utendum, idque diligenti antea cir-

A 2

cum-

1) **HIPPONCRATES** von der Lebensordn. in hitzigen
Krankh. in SPRENGELS Apologie des Hippocr.
Th. II. S. 266.

2) **HIPP.** aphor. I. 2.

cum suspicione faciendum. Si quid vero, incipientibus morbis, movendum videtur, movere: vigentibus autem quiescere multo praefat 3).

Idem immortalis medicinae rationalis auctor praegnantes purgabat, si materies turgebat, quadrimestres, et usque ad septimum mensem, sed has parcus. Iuniores autem et seniores caute vitare oportere credidit. Purgantium ope medicamentorum ubique talia e corpore educenda, qualia sponte etiam prodeuntia iuvant: contrario vero modo exeuntia fistenda 4).

Aestate superiores potius ventres, hyeme vero inferiores purgandos existimabat. Sub Sirio et ante Sirii ortum difficiles esse ob calorem immodicum purgationes 5).

Melancholicos infra vehementius purgabat, ob rigiditatem fibrarum intestinalium, fortiora requirentem remedia 6).

Febris expertibus si tormenta adfuerint, et genuum gravitas et lumborum dolores, inferna purga-

3) Hipp. aphor. I. 20-25.

4) Hipp. aphor. IV. 1. 2.

5) Hipp. aphor. IV. 3-5.

6) Hipp. aphor. IV. 9.

purgatione opus esse significant. Sanis autem et bene valentibus corporibus quaecunque fuga purgatio 7). Hae et aliae memoratae dignae regulae, quae purgationibus instituendis inserviunt, in Coi senis scriptis multoties occurunt.

6.

Post ipsius tempora **EUDOXUS** Cnidius primus fuit, qui purgantium usum in morbis fere omnibus gnaviter atque diserte impugnavit, iis praesertim argumentis usus, quae a calore climatis, in quo degerat, petebantur 8). Et enim in Aegypto disciplinae rudimenta haufit, ubi, ob calorem nimium, purgantia etiamnum plerumque nocere solent. Hinc nostri aevi Aegyptii utuntur potius aqua Nili et casia, tanquam remediis lenitivis, quam fortioribus et draisticis purgantibus 9).

EUDOXI discipulus **CHRYSIPPUS** Cnidius *Erasistratum Ceum* docuit noxas purgantium. Hic enim contemtu insigni horum remediorum praeprimis inter veteres inclaruit: eo usus argumento, quod videret, humo-

7) **HIPP.** aphor. IV. 20. 16.

8) **GALEN.** de venaelection. adv. Erasistrat. Rom. p. 8. (ed. graec. Basil.).

9) **PROSP. ALPIN.** de medicina Aegypt. p. 58.

humores inde corrumpi facileque putredinem excitari. Eodem nixus ratiocinio ASCLEPIADES Bithynus damnavit purgantia, quod humores corruptos attrahant et totam corporis compagem infirment ¹⁰).

C E L S U S quoque caute admodum de purgantium usu indicavit. Cum enim alvus vehementius fluat aut saepius ducatur, hominem infirmari. Ergo nunquam in adversa valetudine medicamentum eius rei caufsa recte dari, nisi ubi is morbus sine febre sit. At, ubi febres sint, satius esse eius rei caufsa cibos potionibus adsumere, qui simul et alant et ventrem emoliant. Esse autem moderationem eam, quam sequutus fuerit ASCLEPIADES in propinandis purgantibus, aptissimam: ut neque saepe ea medicina tentetur, neque omitatur, dum graviores eam casus poscere videantur. Servanda paeprimis haec esse: ne ante diem tertium alvus ducatur, ac alia cruditate substantia: ne in corpore infirmo, diuque in adversa valetudine exhausto: neve in eo, cui satis alvus quotidie reddit, quive eam liquidam habet: neve in ipso accessionis impetu, quia, quod tum infusum est, alvo continet.

¹⁰) GALEN, de naturali facult. lib. I. p. 92. 93.

tinetur, regestumque in caput, multo gra-
vius efficit periculum ¹¹⁾.

Methodici deinde purgantium fortiorum
usum revocarunt, eo praesertim fine, ut
strictum laxetur, et, stimulorum fortiorum
ope, metasyncrisis instituatur. Hinc etiam
RUFFUS Ephesius libellum peculiarem de
purgantium usu conscripsit, qui commenta
scholae methodicae ulterius persequitur.

Landes nimias, quibus condecorare purgan-
tium usum satagebant methodici, perstringere
primus conatus est **ARCHIGENES**, summus
pneumaticae scholae auctor, non novae illius
quidem sed instauratae potius veteris dogmati-
cae. Hic vero ita limitare studuit usum pur-
gantium, ut loco drasticorum potius remedia-
rum emollientia et leniter laxantia commen-
daret ¹²⁾. Adportabantur tunc primum tem-
poris myrobalani, legumina Cassiae fistulae, et
folia Cassiae Sennae ex oriente et Alexandria,
quae, substituta primitis drasticis purganti-
bus, longe securiori modo agere videbantur.

^{9.}
11) CELS. lib. II. c. 12.

12) ORIAS. collect. lib. VIII. c. 46. p. 377.



G A L E N I *theoria, quae per tot saecula dominabatur, canonicam ubique medelam in omnibus morbis commendans, contra qualitates elementares semper militavit: hinc purgatio bilis atrae et flavae, serorum humorum et phlegmatis in quoconque fere morbo introducta fuit, quibus postmodum Graeci imitatores Galeni tantopere abutebantur, ut nullum fere rationalis medicinae vestigium remaneret.*

Arabes vero iterum revertebantur ad pristinum evacuantium metum, praesertim fortiorum, quo quidem magnopere differebant a Graecis ipsorum idolis. Eius metus caufa in climatis calore nimio quaerenda esse videtur, namque pristini Arabum medici scriptis clari, velut **R H A Z E S** et **H A L Y A B B A S** et **A V I C E N N A** in Persia medicinam exercuerunt. Posteriorum, variis regionibus degentes, nihil antiquius habuerunt, quam caecutientes sequi veteres scriptores: ideoque etiam in medio aevo dominabatur metus purgantium, miroque modo sibi ipsis contrarii erant medici, dum humores peccantes iam Galenico modo evacuare studebant, nunc vero, Arabum opinionibus irretiti, usum evacuantium fugiebant.

Huius



Huius rei testis imprimis est Jo. de ^{9.}
AMANDO, Canonicus Tornacensis et archia-
ter Papae Joannis XXII., qui postquam va-
rias multasque indicationes purgantium sta-
tuerit, contraindicationes sequentes addidit:
1) Nulli humores evacuandi, si sanuni fue-
rit corpus. 2) Repletio humorum recens
naturae ope spontaneisque matibus evacuata.
3) Congestiones sanguinis versus partes no-
biles. 4) Propensio ad vomitus. 5) Metasta-
sis ingruens. 6) Calor nimius aut frigus con-
clamatum etc. ^{13).}

10.

Dum fanatici hominis, **PARACELSI**, co-
natibus nova saeculo decimo sexto moliretur
transformatio medicinae, qua vetera humo-
rum peccantium commenta antiquata cedere
cogebantur novis astralium caussarum effecti-
bus, canonicae etiam medendi regulae et eva-
cuations humorum elementarium e medio
tollebantur, purgatio autem non nisi in do-
minio **TARTARI** sic dicti instituebatur, cuius
nomine stases nostras abdominales et infarctus
comprehendit Paracelsus. Qui quidem Tar-
tarus, plerorumque morborum chronicorum

et

¹³⁾ jo. de **AMANDO** exposit. super antidotar. Nicol.
f. 410. b.



et atrocium parens, ubique etiam removeri debebat, ubi diurnitas morbi et nutritionis defectus fomites abdominales proderent.

Acerrimus porro adversarius purgantium remediorum, imo omnium evacuationum, etiam sanguinis per venaefectionem, HELMONTIUS fuit, qui Archei sui mitigatione et conciliatione contentus nulos unquam humorres peccantes evacuare studuit. „Quidquid enim profligant et exterminant cathartica, non est unius de tribus humoribus (bilis atra, flava et phlegma) quos peccare aiunt: sed est crux, per virus pharmaci mactatus, cuiusque cadaver faetens per anum elicetur. Reus sim, inquit, coram Deo, si non prorsus suadeam, omnino a laxativis esse abstinendum. Vitium enim iactura a laxantibus et monarchiae vitalis turbatio, citra spem sanationis inde sequentur. Medicina enim non est nudum verbum, inanis iactantia aut fermo vanus, post se opus relinquit.“ Ad luctam singularem provocat humoristas, Galeni affectas. E nosolochiis aut castris ducentos aut quadringentos pauperes febricantes sumendos et in duas partes distribuendos esse, quarum altera sibi, altera Galenicis curanda relinquatur. Se vel-



le absque ulla evacuatione sensibili ipsis mederi: videndumque, quot funera uterque ipsorum habiturus sit ¹⁴⁾.

12.

Non multo post ipsius tempora Franc. SYLVIUS de le Boë purgantium laudem vindicare studuit a contumeliis Paracelsi et Helmontii. Corporis enim fabricam favere credivit impensa humorum ferosorum et pituitorum per ductum pancreaticum ad intestina motu: hinc purgantia eo fine paeprimis iuvare, quod humores pancreaticos eliciant et feros latices e sanguine educant. Praestare hac ratione omnino in plerisque morbis purgantia fortiora, ialappam, mercurium sublimatum (dulcem), elaterium etc. ¹⁵⁾.

13.

Egregie his contrariis opinionibus obviam ivit summus HOFFMANNUS, qui, blandiorum laxantium laudes extollens, purgantia fortiora e foro medico eiicienda fuisit, eximiaque cautela indicantia et contraindicantia purgantium determinavit ¹⁶⁾. Hunc egregium

¹⁴⁾ HELMONT. pueril. humorist. vindict. p. 420. Opp. ed. Amsterd.

¹⁵⁾ SYLV. prax. med. App. VI. p. 750. f.

¹⁶⁾ HOFFM. medic. rat. syst. vol. III. sect. II. c. s. p. 483. f.

gium scriptorem plerique recentiores sequuntur
paullisper tamen ab illo discesserunt, dum
methodus antigastrica nuperis temporibus a
Germaniae medicis aequa commendaretur, ac
damnatur ab Anglis. Operae pretium itaque
nos facturos esse confidimus, si, ratione et
experientia ducibus, diserte et significanter
exposuerimus,

quali modo agant purgantia?
quando requirantur?
quando status morbus iis repugnet?
quid in quovis remedio huc pertinente
notandum?

II.

Modus agendi.

14.

Stimulare purgantia remedia atque exci-
tare vires intestinalorum patet ex evacuatio-
ne humorum in tubo intestinali stabulantium,
quae effici nequit, nisi stimulatis atque irrita-
tis inferiorum praesertim intestinalorum tuni-
cis. Haec quidem irritatio efficitur vel salini
ope principii, acidi alcalinive, vel nauseosae
cuius

cuiusdam materiei, quam radix rhei, folia sennae, radix ialappae omnino continent, vel specifico quodam modo, qui explicari penitus nequit.

Varia huius indolis remedia haudquaquam solum intestinorum tractum, verum etiam alia stimulant organa, ut simul, aut pro variis eorum dosibus, et diuretica, et emetica et dia phoretica haberi possint. Alia vero remedia nullum nisi hunc effectum laxantem et purgantem producunt, quorum manna est exemplum, quae plerumque laxare solet et purgare humores intestinorum solos.

16.

Eliminant autem peculiariter humores superfluos in tractum intestinalum congestos, bilem, succos glandularum intestinalium, faeces et peregrina corpora cum faecibus mixta. Eliminant quoque mucum naturale, ex glandulis intestinalibus excretum, eoque privant tunicam internam intestinalum, quae, tenerior et debilior reddit, spasmis facile corripitur.



Hinc itaque congestiones excitant versus tractum intestinorum, cum eundem irritent et excretionem humorum ibi stabulantium promoveant. Quae quidem congestiones ea lege ortae, quod stimulus quivis praeternaturalis, ob actiones vasorum excitatus, humores adliciat, modo usui sunt, iam damna non pauca proferunt.

Proficia erit haec congestio, dum repulsi humores ab aliis, praesertim a supernis partibus, derivantur versus intestina: si eorum ope remediiorum efficitur haec derivatio, quae acriorem stimulum intestinis non imprimunt; si itaque blandioribus et antiphlogisticis utimur remediis ad hunc finem obtinendum. Nociva autem evadit haec congestio, quoties ex humorum massa deponuntur materiae excrementitiae in tractum intestinorum, quoties inde debilitas consequitur, quae ex congestionibus serosis ex toto corpore ad hoc tam insigne organum oritur: quoties denique aliae excretiones natura institutae hac congestione turbantur atque impediuntur.

Hinc itaque laxantia blanda antiphlogistica modo agere possunt, dum excretiones pro-

romovent, organa depuratoria aperiunt, et orgasmum sanguinis minuunt. Calor enim praeternaturalis, velut sequela nimis excitatarum virium, excitatur orgasmo sanguinis et impedita excretione materie calorificae per organa depuratoria. Minuitur itaque, dum vel activitas virium nimia mitigatur, vel orgasmus sanguinis sedatur, vel organa depuratoria aperiuntur, ut praesertim materies calorifica redundans iis possit eliminari.

19.

Cum irritent evacuantia tractum intestinorum et excretiones promoveant, vasorum lymphaticorum actionem quoque in aliis partibus, ope consensu, augent, resorptionem itaque excitant. Hinc absorbtio humorum per vasa lymphatica cutis adaugetur, corpus humanum a quacunque purgatione gravius evadit ¹¹⁾, contagium quoque augetur, dum miasmata facilius per cutem in corpus transmigrare possunt. Quodsi etiam proclivitas ad febrem hecticam et tabem adeat, haec quoque augetur ope purgantium, quippe quae resorptionem cutaneam promovere solent.

20.

¹⁷⁾ CRUIKSHANK's Abhandl. von den Saugadern.
S. 117.



Ipsa demum sanguinis et humorum crasis mutatur saepius ope purgantium, cum congettiones purgantibus excitatae separationem partium sanguinis propiorum promoveant, organa excretoria magnopere irritent, atque ea ratione adlicant humores corruptos per totum tractum intestinorum, ut facile possint reforberi et sanguinis inficere massam.

Utrum vero peculiares quosdam humores intestinis stabulantes peculiaribus quoque remediis fugare possimus, an quodvis remedium quemvis etiam humorem evacuare soleat, dubius haereo. Vetus doctrina de attractione humorum versus eas partes, quibus applicantur certa quaedam remedia, nuperis haudquam observationibus confirmata, nostros quoque nullo modo mereri calculos videtur. Quandoquidem inficiandum non est, varia remedia hanc potius quam aliam partem peculiari modo adficere, ut singularis etiam irritationis modus, singulariumque humorum affluxus consequatur, sicut rhei radix speciatim bilem corrigere et evacuare solet, fales autem neutri phlegmaticos et serofos humores: in alia tamen remedia haec quadrare ne-

que



que de omnibus contendi hae vires specificae possunt. Absona itaque est et a ratione aliena veterum partitio purgantium in phlegmagoga, melanagoga, cholagoga etc. quippe cum praesentia humorum eiusmodi peccantium hypothesisibus tantummodo et commentis meritis nitatur.

22.

Melior longe et utilior est partitio ea, quam nuperi praetulerunt, in laxantia blanda et purgantia proprie sic dicta. Illa enim mites suos effectus, absque irritatione vehementiori producere solent, ita ut alvus tantummodo liquetur et solvatur, repetitisque vicibus fluat. Purgantia autem torminibus et colicis doloribus excitatis, citam reddunt alvum, spasmos et motus concitatores producunt, calorem intestinum augent et meteorismum faepius aut turgorem abdominis saltem efficiunt. Augent nonnunquam pulsuum frequentiam, anxietates producunt, et infirmant vires, ut mali inde sequantur effectus.

III. Indicantia.

Generatim quidem statuo, in quoconque morbo alvum liberam esse servandam, quum

B

orga-



organum depuratorium tractus intestinalis quemvis turgorem humorum secretorum minuere, derivare congestiones et mitigare orgasmum sanguinis possit, quo calor febrilis sustinetur. Hinc vehementia febrium minuitur, coctio promovetur, metaftasēs impediuntur, quoties alvus libera et aperta servatur. Cui quidem fini inservit tum potus refrigerantium; diluentium sufficiens, tum fructuum acidulorum, horaeorum esus moderatus, tum denique clysmatum applicatio quotidiana, quae optime derivare humores congestos, lenire febriles insultus, coctionem promovere possunt.

24.

Speciatim vera *laxantia* indicantur fordibus biliosis aut pituitosis accumulatis, quae vel ab extraneis caussis productae vel a morbi in dolore ita excitatae sunt, ut morbus, nonnisi iis remotis, possit fugari. Nequaquam vero quaevis fordium in primis viis praesentia requirit laxantium usum, sed fordes tantum mobiles, resolventium et antispasticorum aut antiphlogisticorum usu antea motae et ad excretionem adaptatae. Deinde solummodo eae fordes, quae remoyerī omnino necessarium ita est, ut morbus nullo alio modo possit fugari. Siquidem saepius in inflammationum decursu for-

des



des a consenſu primarum viarum cum locis inflammatis generantur, quae nullo modo attentionem medici artificis requirunt, cum non in initio statim adſuerint, cum nullum praeterea epidemicæ propensionis ad biliosas fordes vestigium adſit, cum denique experientia doceat, qui perfiftat in curatione morbi, fine respectu ad symptomata habito, multo feliciorem esse eo, qui quovis symptomate alieno a tramite recto deducatur.

25.

Laxantia itaque indicantur ſordibus ad excretionem adaptatis, et quidem ad excretionem per inferiora. Valet enim antiquus ille canon: Quo natura vergat, eo movendos esse humores, neque contrariam viam incedandam. Quodſi itaque alvo ſolvendae faveat morbus, quodſi praefertim epidemicus morbi ſtationarii genius indicet, diarrhoeas eſſe ſalubres, hoc etiam confiderandum, hos naturae nutus eſſe sequendos.

26.

Hinc itaque nonnunquam diarrhoea ſalubris et adlevans egregie indicat laxantium uſum, dum illa finem naturae adſequi haud poſſit, dum impeditur, aut signa ſordium ver-

.11.111

B 2

fus

sus inferiora turgentium adhuc restant, Lin-
gua itaque foribus obducta, appetitus de-
fectus, oppletionis sensus in scrobiculo cor-
dis, borborygmi et abdominis turgor, tenes-
mus et lumborum dolores post diarrhoeam
salubrem adhuc restantes indicant usum laxan-
tium esse continuandum. Tali e. g. modo
agendum in hepatis inflammatione, quae non
nunquam naturae auxilio et diarrhoeae bi-
liosae ope sanatur. Hepatitis quidem simplex
neque laxantia neque alia requirit evacuantia:
quodsi vero sequitur febrem biliosam, aut dum
dominante morbo stationario bilioso accidit,
diarrhoeis nonnunquam sanatur: ideoque eva-
cuantia eiusmodi etiam requirit.

27.

Laxantia nonnunquam minime indicantur
per se spectata, sed emetica potius iis praefe-
renda esse videntur, cum haec proxima omni-
no via fordes exterminare valeant. Adfunt ta-
men haud raro variae res, quae noxium fore
emetorum usum minantur: tunc itaque refu-
gium ad laxantia patet. Itaque saepius accidit,
in turgore fordium biliosarum prohiberi eme-
torum usum ab idiosyncrasia hominis, qui nec
emetica ferre possit, nec effectum eorum salu-
brem, seu vomitum ipsum, unquam expertus
fuerit.

fuerit. Nonnunquam etiam metuimus emeticorum damna, ob congestiones, quas superiora versus excitant, ob proclivitatem aegroti ad haemoptyses, et alias sanguinis fluxus, ob malam pectoris confirmationem, ob herniam inverteratam etc. Talibus itaque in casibus opus est laxantibus, quae et congestiones derivare et ab aliis emeticorum dannis cavere possunt.

28.

Laxantia peculiariter praefreruntur purgantibus, quoties fibra stricta, tensa et sensibilis repugnat usui purgantium fortiorum, quod tum in spasticis morbis, tum etiam in aliis nervosis saepe saepius accedit. Tunc multo plus emolumenti a laxantium blandiorum usu continuato, quam a purgantium fortiorum proportionate exspectandum. Exemplo sint infarctus atrabilarii cum haemorrhoidario morbo coniuncti, qui draisticis purgantibus adhuc magis exacerbantur, laxantibus vero blandioribus saepius egregie adlevantur. Tantum enim nonnunquam in hoc morbo obsunt aloëtica, quantum profundit sulfur et tartarus boraxatus. Ita quoque in obstructionibus intestinalium diuturnis, cum morbo saepius cachectico iunctis, noxas non paucas inferunt purgantia, profundit vero laxantia blandiora, velut tremor tartari, flores sulfuris etc.

29.

Laxantia saepius requiruntur, dum aliae eaeque molestae adfunt excretiones, quas sistere cupimus: cui fini inservire in statu chronicō etiam purgantia possunt. Sic salivatio molesta, sudores frequentes aut suppuration excessens iustum, omnino saepius indicant laxantia, ad revellendos humores a locis affectis et ad derivandos eosdem versus intestinorum tractum. Pyalismus a mercurio excitatus laxantibus domari nonnunquam debet.

In morborum variorum decremento necessaria sunt quandoque laxantia, ut humores per morbum ipsum corrupti, organis depuratoriis eo faciliter excerni possint, ut etiam metastases arceantur, quae aliquando saepenumero sequi solent. Commendantur eius rei cauffa laxantia praeprimis ad finem variolarum, ut morbi posthumi variolarum arceantur, utque iusta et adaequata humorum depuratio operis huius organi efficiatur. Videndum tamen, ne aliud organum depuratorium, videlicet sistema cutaneum, peiori modo adfficiatur, dum revulsi ab eo humores nimis cito versus intestina derivantur.

31.

Purgantia ipsa, quae magis irritant, caloremque intestinorum non raro adaugent, nonnunquam velut metasyncritica usurpantur in morbis chronicis, cum laxitate insigni ac atonia viscerum abdominalium iunctis. Et enim ubi stimuli deficiunt et irritabilitas viscerum ipsa pessumdata est, medicis saepius et fortioribus opus est stimulis, qui non solum apprime magis irritent sed tonum etiam intestinorum mutent et validiori modo restituant. Hinc in hydropibus et pituitosis colluviebus utilia saepius sunt purgantia, tum ob irritationem maiorem solidarum partium relaxatarum, tum ob restitutum et adactum vasorum resorbentium officium, tum etiam ob excretiones excitatas humorum ferosorum.

32.

Requiruntur quoque purgantia a rigida fibrarum compage, infarctibusque atrabilariis, qui arce vasorum tunicis adhaerent, validioribusque egent stimulis, ut evacuentur. In melancholia et mania saepius profuit fortiorum purgantium usus, cum leniter et blande laxantia irrita esse soleant.

Proficia nonnunquam sunt purgantia in chronicis cutis exanthematibus et ulceribus,
tum

tum ut deriventur congestiones passivae a cutis superficie, tum etiam ut irritatione tubi intestinalis mutetur corporis compages et metastyndris moliatur.

33.

Speciatim autem iam inquiramus, quibusnam sub conditionibus laxantia et purgantia in praecipuis morbis indicentur.

A. Febres per se quidem non indicant usum purgantium, quippe quae magis irritent, sed laxantium, dum caufsa febrium manifesta occasionalis faburra in tubo intestinali est, quae mobilis et proclivis ad evacuacionem per inferiora est: dum praeterea epidemiarum genius is est, qui diarrhoeas proferat salutares.

a. Intermittentes febres in adulta aestate et autumno anniversariae, biliosae vel biliopituitosae, a natura saepius diarrhoeis salubribus sanantur. Hinc etiam in iis complicatis casibus profundunt purgantia, sales neutri, rheum etc. 18). Alioquin febris intermittens simplex repugnat purgantibus, atque ab eorum usu adeo exasperatur, ut pervicax evadat natura morbi.

b. Ca-

18) STÖRK. ann. med. I. p. 73.

b. *Catarrhi*, saepissime complicantur cum morbis biliosis vel stationariis vel anniversariis 19), ubi itaque tractandi etiam laxantibus blandis, nec tamen purgantibus, quae magis irritant, neque prodeesse possunt. Sales vero neutri, tartarus boraxatus, tremor tartari, pulpa tamarindorum summe proficia nonnunquam sunt, dum catarrhus coctioni est proximus, ut inde deriventur humores a superioribus.

34.

B. *Inflammationes* indicant neque laxantia neque purgantia, nisi biliosae fuerint aut pituitosae, quippe quae saepius a natura, ope diarrhoeae salubris, terminantur. Ita ophthalmia biliosa diarrhoeis curatur 20); mercurio dulci, velut purgante utitur TRAMPELIUS ad sanandam eiusmodi ophthalmiam 21): laxantia alia, imo purgantia summe proficia praedicantur a BOERHAAVIO 22).

In pleuritide biliosa non solum resolventia, sed blande laxantia emolumenta non parva producunt. Ita etiam enteritis, quae a for-

dibus

19) STOLL. rat. med. vol. II. p. 6.

20) Histor. morb. Vratisl. 1701. p. 237.

21) TRAMPELS Beobacht. B. II. S. 97.

22) De morb. ocul. p. 48.

dibus oritur, oleo ricini, floribus sulfuris
et cremore tartari faepius debellata fuit.

Hepatitis p̄ae aliis inflammationibus
diarrhoeis biliosis solvit̄ur: hinc etiam blan-
de laxantia profūnt, dum turgor bilis p̄ae-
fertim versus inferiora adest.

35.

C. *Exanthemata febrilia* laxantia requirunt,
praesertim in decremento morbi, dum deri-
vandae sunt conges̄tiones a partibus nobili-
bus, dum praesertim fordes, quae in morbi
decursu generabantur, removendae sunt et
eliminandae. Videndum tamen praesertim
in fine variolarum et morbillorum, ne ex-
cretiones cutaneae magis impeditantur, quod
facile laxantibus effici solet. Hinc itaque
iungenda diaphoretica laxantibus, aut re-
gimen saltem ita instituendum, ut excretio-
nes cutaneae serventur.

36.

D. *Rheumatici et arthritici* affectus per se
quidem purgantia non indicant, sed iis
tantum in casibus, ubi biliosae fordes simul
adfunct, quod in rheumatismo praesertim fae-
pius ita accidit. Guaiaci gummi in remis-
sionibus, et postquam febris siluit, cum cremo-

re



re tartari adhibitum tunc praecipue prodest in rheumatismis biliosis, cum fordes evacuat et liquidam reddit alvum. Flores fulfuris quoque usui nonnunquam sunt in arthriticis, rheumaticis et haemorrhoidariis affectibus, dum leniter alvum ducunt, contra que atoniam viscerum militant abdominalium: quod in primis testatur CADOGANUS, qui in arthritide prodesse ea ratione fontes medicatos credit, ut leniter irritent laxa viscera abdominalia et fordes pituitosas evacuent.

37.

E. In variis excretionum morbis laxantia indicantur:

- a. In haemorrhagiis, haemoptysi et haematemesi, quae a foribus biliosis excitantur, ubi lenia laxantia prae aliis commendavit STOLLIUS²³).
- b. In interceptis haemorrhagiis naturalibus, morbo haemorrhoidalii, menostasia. Ille enim, cum laxitate viscerum abdominalium et pituitosae colluvie plerumque iunctus, a leniter laxantibus saepissime adlevatur, haemorhoideas caecae resolvuntur et regularis restituitur excretio sanguinis. Neque tamen

²³) Rat. med. vol. XI. p. 115.



tamen perfecta inde curatio haemorrhoidum exspectanda, quippe quae mutationem totius systematis sanguiferi abdominalis supponat. Promovendo fluxui menstruo inseruent praeprimis laxantia, imo purgantia, teste THOMPSONIO²⁴⁾), cum deriyent humores versus inferiora abdominis viscera.

c. In dysenteria biliosa autumnali, quae fortes manifestas, velut caussam occasionalem agnoscit, CAWLEYUS ceteris remediis praeferat sales neutros, maxime vere salem Glau-bericum tartaro emetico²⁵⁾: ita etiam STOLLIUS in biliosa dysenteria²⁶⁾ tentat laxantia blanda, ut faeces inde naturales prodeant, quae alioquin fere semper deficiunt.

38.

F. Varii morbi nervosi cedunt laxantibus et purgantibus. Paralyfis a gastricis vitiis orta, febrem biliosam comitans aut sequens²⁷⁾, laxantibus saepius et purgantibus fugata est.

Epilep.

²⁴⁾ Samml. für prakt. Aerzte. B. III. S. 18.

²⁵⁾ Ib. B. XII. S. 144.

²⁶⁾ Rat. med. vol. III. p. 288. 264

²⁷⁾ FERCIVAL's. essays, vol. II. p. 220. . . FINKE de. morb. bilios. anom. p. 147.

Epilepsia non ea solum, quae a faburra gastrica excitatur, laxantibus cedit, sed aliae etiam species purgantibus fortioribus fugantur, quae modo metafyncritico agunt, et tonum viscerum abdominalium mutant et transformant. Hellebori radicis usum **STARKIUS** praedicat in epilepsia chronica²⁸).

In mania et melancholia a pristinis inde temporibus usus purgantium laudibus summis decoratus est, cum diarrhoea spontanea etiam non semel mentis eosdem morbos sanaverit²⁹). Hinc Hellebori radicem commendat **GREDINGIUS**, hinc **QUARINUS** pilulas Bacheri, hinc pulverem e sale Glau-beri, sulfure antimonii et scilla, **WILLI-CIUS**³⁰).

39.

G. Inter cachexias *hydrops* paeprimis usum purgantium saepe fortiorum, aut saltem laxantium requirit, dum ne digestio inde offendatur. **FORDYCIIUS** curavit hydropem cum hectica iam febre iunctum, ope radicis rhei³¹). Resinam ialappae cum mucilagine

ne

28) Nachr. vom klin. Institut. in Jena. S. 176.

29) Journ. de médec. vol. XLI. p. 21.

30) **BALDINGER'S** Magaz. B. VIII. S. 253.

31) Samml. für prakt. Aerzte, B. XI. 506.

ne gummi arabici nuptam commendat obseruationibus egregiis doctus GREENIUS³²⁾). Eximie vero agunt eiusmodi draftica, duū roborantibus iunguntur, unde pilulae Bacheri tonicae laudem maxime merentur, quae mirandos saepius effectus in morbis hydropicis, vel conclamatibus, edunt. Hinc SELLIUS etiam pilulas hydragogas *Ianini*, licet haud satis apte compositae sint, summo pere commendat in hydrope pectoris et aliis hydropibus. Quid quod ipse tremor tartari nonnunquam egregie agat contra hydroperes inveteratos, qui absque depravatione humorum orti sunt.

IV.

Contraindicantia.

40.

Quamvis autem usus laxantium et purgantium tam late pateat, multa tamen saepe numero obstant iisdem, quae cautos esse nos atque providos in adhibendis purgantibus monent. Quod cum ex modo agendi iam elucet, multo magis in aprico ponetur, consideratis sequentibus argumentis.

41.

³²⁾ Ib. p. 423. Comment. Edinb. vol. ix. p. 115.

41.

a. Sanus homo, qui et bene valet, ut cum CELSO loquar, et suae spontis est, nullis eget evacuantibus. Hinc damnandus omnino usus laxantium et purgantium vel ad praeservandos morbos vel ad tuendam fani-tatem. Namque cum irritent purgantia tu-bum intestinalem, mutant etiam semper vi-res, congectiones excitant, mucum bonum et salubrem ab intestinorum tunicis deter-gunt, teneriora reddunt intestina, et corpus, quod caveri debet ab influxu epidemicorum morborum, ad eosdem proclive reddunt. Accedit, augeri etiam purgantibus resor-bentium vasorum actionem, ideoque mias-matum inhalationem per sistema cutaneum promoveri. Quod praesertim in praeparatione ad variolarum infisionem notandum, quippe quae in sanis infantibus fere nulla esse debet.

42.

b. Excretiones aliae salutares prohibent usum laxantium et purgantium, quae impediunt cri-fes istas et regulares motus activarum natu-rae virium turbant. Quamlibet enim cum va-riis recentioribus, SCHÄFFERO in primis et JACKSONIO variae crises, tanquam se-quela

quela effectuum providae naturae, qui salubres semper debeant esse, considerari nequeunt, a mera tamen etiam passiva mutatione functionum et limitatione morbi, qui antea universalis esset, in localem et topicum; id exspectandum, quod, si turbetur haec mutatio, prior inde effectus sequi debat.

Experientia docet, varios morbos per cutem decerni, ita ut augeatur transpiratio et sudores adlevantes quotidie oriantur, quae quidem excretio perficit etiam eos morbos, qui a faburra gastrica vel ab alienis longe caussis originem duxerunt. Praecedentes enim veras genuinasque morborum gastrorum excretiones sequitur aucta per multos dies cutis transpiratio, quam si turbare voluerit medicus, ope continuati usus evacuantium, recursus morbi et posthumi varii affectus inde exspectandi.

Ita etiam in aliis morbis, praesertim exanthematicis, praepostera per alvum excretio supprimit conatus salutiferos naturae per cutem morbum decernere. Eruptio variolarum et bona suppurratio multoties diarrhoeis spontaneis et artificialibus impediuntur. Ipsa quoque suppurratio bona derivantibus his remediis turba-

turbatur et impeditur, ut mala inde sequatur exulceratio.

43.

c) Teneritas tubi intestinalis et irritabilitas, quae congestiones parit, impedire debet usum purgantium et laxantium. Hinc nocent praecipue corporibus infantilibus, quae a retento meconio spasmos experiuntur, sphincterem ani faepius maxime coarctantes; balnea tepida, oleosa ingesta multo frequentius erunt laxantibus anteponenda, quae nimirum multo plus irritant, quam terrima corporis infantilis compages tollere potest 33).

44.

Ob eamdem rationem caute agendum purgantibus in morbo haemorrhoidario, ob congestiones, quas pedissequas habet ipse morbus, quasque purgantia insigniter augere solent. Imo vero solus purgantium abusus causa putanda est frequentioris morbi haemorrhoidarii, maxime dum calida et irritantia, aloistica huius rei caufsa usurpantur, quae vasorum

33) BAUME IN HUPELAND Analen der franz. Arzneyk, Th. II, S. 281.

rum systema insigniter irritare et calorem viscerum praeter naturam adaugere solent.

Hinc quoque status intestinorum inflammatorius, aut praefens aut imminens, prohibet usum laxantium et purgantium, quae insigniter augere inflammationem et transtum in gangraenam eo certius promovere debent, quo vehementius irritant et quo frequentior ortus inflammationum intestinalium est abusui purgantium adscribendus. Cui quidem asserto haudquam contradicit, quod §. 34. de usu blandiorum laxantium in enteritide biliosa dictum fuit, quippe quae complicata et a causis gastricis orta, evacuantibus mitioribus tolli etiam potest.

Hinc etiam nocent remedia, quae alvum exonerant, ubi proclivitas intestinorum ad congectiones et ad generationem fordium adeat. Adaugent enim earum affluxum, quae itaque iterum morbum irritare et exasperare debent. Irritum ergo imo noxium eorum studium, qui colluvie coacervationem ac regenerationem cohiberi evacuantibus student, ab iisque non desistunt, donec ultima fordium vestigia remo-

removerint. Irritum sane conamen, cum quisquis perrexerit in hac methodo, prius mortem videbit aegri sui accelerari, prius saltē transitum morbi alioquin puri gastrici in complicatum et nervosum, quam fordes penitus evacuaverit. Noxium est conamen, cum artificialis oriatur inde faburra, quam latenter antea et occultam iam se detexisse gloriantur medici. Nullibi magis taxanda haec methodus quam in febre nova a SYDENHAMO dicta, quippe quae nonnisi generalioribus febris symptomatibus stipata, a vulgaribus medicis tractatur resolventibus et blandis evacuantibus, ut latenter eliiciant faburram, quo facto oritur haec quidem, non tamen spontanea sequela morbi, sed effectus remedium huic fini adaptatorum. Ex hoc quidem methodi evacuantis abusu evenit nostris temporibus abundantia morborum gastrorum, qui forsan initio tales non fuerunt, sed progressu evadunt.

47.

d. Nocent purgantia, quoties faburra indiciis suis manifesta, non caussa occasionalis morbi, sed sequela ipsius vel accidentalis est, quae minime impedit curationem morbi, ut ita dicam canonica. Exempla sint inflamm-

C 2. tiones



tiones variae, praesertim pectoris, quae faburram gastricam non raro producunt, neque tamen requirunt usum laxantium et purgantium. Curatio, ut ita dicam, canonica inflammationum sufficit ad removendum morbum, omnesque eius sequelas. Ita etiam in variis morbis nervosis faburra generatur, quae tamen nullo modo respectum medici requirit, sed evanescit, dum curatio instituitur contra effectus nervosos.

48.

e. Nocent laxantia et purgantia in statu corporis infirmato nimis et exhausto, quem insigniter augere debent, ut pessimus inde effectus sequatur. Hinc cavendum praesertim ab his remediis, dum morbus stationarius nervosus dominatur, aut dum progressi morbi vires adeo exhaustae sunt, ut haec quidem evacuatio a viribus tolerari nequeat. Hinc praesertim prohibendus et fugiendus usus purgantium in febribus intermittentibus simplicibus, quarum caufa in atonia systematis gastrici quaerenda, haud quaque versatur in fordibus gastricis ipsis. Hinc etiam in atonica arthritide prohibenda purgantia ipsa, quippe quae debilitatem viscerum abdominalium et stases sanguinis

in

in vasis abdominalibus augere, eoque modo accelerare debent recursum insultus arthritici. Hinc etiam vitandus purgantium usus in variis cachexiis, quae, licet fordibus iunctae sint, nullo modo tamen purgantibus tractandae, si debilitas iam praedominatur.

49.

f. Nocent laxantia et purgantia in siccitate corporis et maciei periculo, quoniam actionem vasorum absorbentium insigniter augment, ideoque nutritioni obsunt. Hinc vitandus praeprimis purgantium usus in febribus hecticis, et in iis morbis acutis, quae transitui in morbos hecticos favent: e. g. febribus intermittentibus, febre nervosa lenta Huxhami.

Eadem ratione nocent etiam, ubicunque excretiones cutaneae fervari debent, ubique a miasmatibus in aëre atmosphaericо prae-sentibus periculum resorbtionis cutaneae metuitur.

50.

g. Purgantium denique et laxantium abusus noxius est in obstructionibus et infarctibus refractariis, quippe quae blandis potius resol-

solventibus quam fortioribus purgantibus ut
irritantibus remediis tractari debent. Et
enim periculum validioris statuum invetera-
tarum resolutionis inde sequitur, quod hu-
mores per longum tempus iam stagnantes
proclivitatem concipiunt ad corruptionem,
quae inflammations folet gangraenosas pro-
ducere aut exulcerationes periculosas, quas
saepius quoque in infarctibus videmus, post-
quam irritantia fortiora usurpata fuerint.

V.
Indicata.

51.

Delectus medicaminum laxantium vel pur-
gantium caute instituendus, dum semel indi-
cantur, cum alia remedia huius generis longe
diversa polleant virtute quam alia. Discrimen
praesertim inter blanda laxantia statuendum
et purgantia fortiora.

A. *Laxantia blanda.*

1. *Lac recens mulctum*, quo veteres praeser-
tim utebantur ad blandas evacuationes provo-
candas in morbis cum infirmitate coniunctis.
Quo etiam lac primum post partum, seu *colo-
strum* pertinet, quod optimum est laxans blan-
dissimumque ad meconium tenerrimorum in-
fantum

fantum eliminandum. Huc praeterea *serum lactis acidum*, quod simul alia organa depuratoria aperire et in primis in cutem agere solet.

52.

2. *Succi herbarum recens expressi*, velut *Veronicae Beccabungae*, *radicis Hordei muri- ni*, rad. *Leontodontis Taraxaci*, rad. *Menyanthis trifoliatae*, herb. *Scandicis Cerefolii*, *Bo- rraginis officinalis*, *Fumariae officinalis*, rad. *Cochleariae Armoraciae*, *Ligustici Levisticum*. Qui praesertim in pituitosis infarctibus et laxitate viscerum abdominalium ad curationes vernales, cum roborantibus et stomachicis elixiriis commendantur.

3. *Mel crudum*, succus inspissatus e rad. *Dauci Carotae*, imo *uvae coctae*, blandissima sunt laxantia, quae vel tenerrimis infantibus propinari possunt. Huc etiam *pruna igne sic- cata et cocta* pertinent, quae diaeteticum insigne constituunt remedium.

4. *Oleum ricini et oleum olivarum*, quorum illud praesertim velut laxans infantibus tener- rimis porrigi potest. Nisi nausea aegri obsit, egregia constituunt remedia.

53.

5. *Pulpa tamarindorum et cassiae*, ut et *se- rum lactis tamarindipatum* in morbis biliosis et

et putridis eximum praefstant usum ad eva-
cuandas fordes biliosas et putridas.

6. *Manna calabrina* per se quidem nutriens,
fermentationi tamen obnoxia, ex fermentatio-
ne quoque virtutem laxantem adipisci vide-
tur. Hinc fatus excitat et tormina ventris,
optime itaque nubitur aquis aromaticis aut in-
fuso chamomillae calido.

7. *Sales neutri*, inter quos ceteris praferen-
dus esse *sal Sedlizenis* videtur, acido sulfuris,
soda et magnesia constans, quippe minores
molestias producit, quam cetera salina. Dein-
de etiam *sal Glauberi* ex acido sulfurico et so-
da, *sal Anglicus* ex magnesia et acido sulfuri-
co: *Sal polychrestus Seignetti* ex acido tartari
et soda, qui vero ab omnibus acidis decompo-
ponitur.

Cremor tartari, *Tartarus tartarisatus*,
Tartarus boraxatus (ex borace et cremore
tartari conflatus) ad blandissima laxantia anti-
phlogistica petinent.

Huc et *soda phosphorata*, quae nuperis
temporibus ab Anglis maxime praedicatur.

8. *Fontes salini medicati*, praeter *Sedlizen-*
sem et *Seidschützensem*, *alcalini*, velut *Emsen-*
sis, qui acidum carbonicum continet insigni
copia,

copia, *Selteranus*, muria et magnesia nuptus, *Töplitzenfis*, salem Glauberi et salem culinarum, *Faschingenfis*, salem culinarum, sele-niten, ferrum et magnesiam continens. Hi quidem fontes simul urinam cident, in arthritide, infarctibus chronicis, scrofulis, morbis cutaneis, haemorrhoidalibus affectibus, catarrho inveterato et cachexiis ab infarctibus ortis insignem effectum praestant. Nonnunquam tamen ab iis cavendum in maiore irritabilitate tubi intestinalis, in congestionibus versus eundem ortis et proclivitate ad haemorragias.

56.

9. *Flores sulfuris* et *lac sulfuris* egregie et blande laxant: in infarctibus itaque, morbis arthriticis, cutaneis, haemorrhoidariis, imo in ipsis febribus acutis praestantissimum fistunt remedium.

B. *Purgantia ipsa.*

1. *Mercurius dulcis*, qui antiphlogistica quoque pollet virtute, praescribendus prae-sertim, ubi acor in primis viis deest, iungendus semper cum alcalinis et terris absorbentibus.

2. *Rad. rhei*, roborans simul, irritans et calefaciens, vitandum itaque in statu febrili, in dysenteria inflammatoria et morbis haemor-rhoida-



rhoidariis. Optimum effectum praefstat in pituitosa colluvie et laxitate viscerum abdominalium, in chlorosi, fluore albo et acore primarum viarum.

3. *Fol. sennae*, praesertim Alexandrinae, quorum infusum calidum irritat, tormina excitat, haud quamquam itaque teneritati et maiori irritabilitati aptum.

4. *Rad. ialappae* et *resina* inde parata, quae quidem cum lubricantibus et emollientibus (vitello ovi, gummi arabico) optime iungitur, ob validiorem, quem producit, stimulum, effectum praestantem edit in morbis verminosis, pituitosa colluvie et in decremento morborum cutaneorum, ubi derivationem insignem producit a systemate cutaneo ad tubum intestinalem.

5. *Aloe*, cuius optima species est *lucida*, purgans fistit calefaciens, irritans, lente agens, quod itaque nonnisi in chronica atonia et laxitate cum pituitosis infarctibus iuncta commendatur. Prohibendus autem usus in quovis maioris irritabilitatis casu, in quacunque congestione, in morbo haemorrhoidario et praesertim in febribus acutis.

6. *Extr. hellebore nigri*, de quo idem valet.

7. *Gummi*

7. *Gummi guttae ex Cambogia Gutta L.*,
cum vitello ovi, aut oleo tartari per deliquum
in morbis verminosis, et hydrope, aliisque ca-
chexiis egregium nonnunquam usum praefstat.

8. *Pulpa colocynthidos* et

9. *Scammoneum* in iisdem chronicis mor-
bis et in melancholia cum insigni fibrarum ri-
giditate iuncta usurpatum. Cum gummate
arabico et radice liquoritiae optime iungun-
tur.

VI.

C o n c l u s i o .

59.

Sequitur ex praemissa disquisitione, la-
xantibus et purgantibus multo saepius nos-
abuti quam recte uti; usumque eorum multo
magis adhuc circumscribendum atque paucio-
ribus tantum casibus adiudicandum esse: pree-
fertim vero in morbis febrilibus summa opus
esse cautione, ni praesentissima inde manare
debeant damna. Quodsi ad utilius de his reme-
diis adhibendis iudicium aliquid me contulisse,
aequi autumaverint iudices, laboris pree-
mium hoc summum aestimavero.

THE.



T H E S E S.

1. Bubonum discussio omnino suppurationi est praeferenda, et arte effici potest.
 2. In variis gangraenis moschus, sal cornu cervi, opium aliaque antispastica summam absolvunt inflammationis medelam, neque refugium ad tonica requiritur.
 3. Pleuritis sic dicta dorsualis est plerumque inflammatio integumentorum spinae dorfi et muscularum columnae vicinorum.
 4. Periosteum nervis ditatum et sensibile est.
 5. Luxuries calli vera omnino statuenda.
-

E r r a t a.

§. 1. l. 5. copia pro copin

§. 2. l. 7. Hinc itaque pro Hincitaque

W 18

?ICA

Duis

12 fol. m

3

SPECIMEN INAUGURALE MEDICUM
DE
METHODI LAXANTIS
ET
PURGANTIS USU ET ABUSU,

